

igitur vestra unanimis in Christo dilectio, quia presens Johannes religiosus presbiter sedem apostolicam adiens retulit pontificio nostro, quod dum quidam de conspiratoribus contra suum seniore[m] Domagoi videlicet ducem Sclavorum apud eum post detectionem criminis fecisset confugium, innotescens scilicet isti, qualiter eundem ducem perimere cum aliis meditatus esset, hic pro fidelitate sui senioris iam dicti videlicet Domagoi ducis et causam¹⁾ seniori propalare et hunc de reatu excusare apud eum pro ipso intercedendo speraverit, ad eundem seniore[m] suum accedens, rogaverit ut ei vitam concedere dignaretur. Ille vero, sicut hic asseruit, vitam ei concessit. Sed postmodum, cum hic ipse presbiter iam dicti sui senioris serviitiis occupatus esset, in istius absentia prefatus dux oblitus promissionis suae ipsum hominem perimi iussit et vitam, quam primum concesserat, abstulit. Huius rei gratia sepe dicto presbitero ab officio suo ultro cessante, postquam nobis causam huiusmodi propalavit, decrevimus illum, si ita est et conscientia eius super hoc minime illum reprehendit, pristino officio et ministerio liberius uti et verbum predicationis in populo iuxta morem sacerdotis in omnibus exercere. Unde communione nostra saginatum fuisse vestra²⁾ unanimitas non ignoret, quem si aliter se res non habuerit et vestrae communionis habere socium et gradus sui officio deditum, quantum putamus, incunctanter retinere potestis'.

36. Domagoi.

1. Râth, falls er 'insidiantes contra vitam suam reppererit', statt der Todesstrafe das mildere Exil anzuwenden. — 'Si vero, quod'.

2. Fordert ihn zur Unterdrückung der Piraten auf. J. 2585. [Bei Ivo und Gratian ist der Adresse noch 'glorioso duci' zugefügt; beide beginnen 'Preterea'; unser Text 'Propterea'.]

37. Imperatori Grecorum³⁾ Joh.

Ueber Ignatius — 'Plurimorum relatu quedam de Ignacii Constantinopoleos patriarche fraternitate audivimus, que sacerdotalibus officiis congruere non agnoscuntur, que ideo credenda putamus, quia capud suum erigere contra sanctam apostolicam aecclesiam, a qua episcopatus sortitus est dignitatem, non dubitavit; cum contra omnium patrum prohibitus invadere ausu temerario presumpsit novam Bulgarorum gentem beati Petri celestis regni clavigeri et Pauli gentium doctoris precibus divinitus illustratam et per apostolicae sedis legatos ad fidem Christi conversam et sancto ablutam baptismate. Decuerat enim propriis eum fore contentum liminibus et non extollentiae cornu aliena appetere

1) 'causa' Hs.

2) 'vestra fuisse' Hs.

3) 'Gregorum' Hs.